

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 1386

**Auteur(s) :** Guiard, Condé (maire)

**Bénéficiaire(s) :** Rouen, Saint-Ouen (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1201

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Prieuré de Condé.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Pommeraye Jean-François, *Histoire de l'abbaye royale de Saint-Ouen de Rouen*, Rouen, Lallemand, 1662, p. 479-480.

## Dissertation critique

Datation proposée par Pommeraye.

Texte établi d'après a

Sciant omnes præsentes et futuri ad quos præsens scriptum pervenerit quod cum inter me Guiardum Majorem de Condeio, et dominos meos Abbatem et conventum sancti Audoeni Rothomagensis contentio verteretur super cotidiana procuracy mea quam ego de jure meo hæreditatio (sic) reclamabam habendam in domo sancti Audoeni apud Condeium. Eadem contentio de ipsorum assensu et meo et G. uxoris meæ et E. hæredis mei in hunc modum est terminata scilicet quod idem abbas et monachi de cætero dabunt mihi vel hæredi meo unum modium bladi meteien ad mensuram Suessionensem, loco procuracy; nec alteram procuracy poterimus exigere ab eis, et hunc modium bladi percipiemus in mense septembbris de manerio S. Audoeni de Condeio annuatim. Quando tamen ego G. vel hæres meus missi fuerimus cum equo in servitium sancti Audoeni extra villam de Condeio ab illo, qui ad custodiā eiusdem manerii fuerit deputatus si certam et rationabilem dietam ibidem fecerimus, sero quando redierimus procuracy habebimus sicut famuli et præbendam ad equum nostrum. Debemus etiam ego vel hæres meus ad præceptum custodis prædicti manerii, mittere et custodire operarios in vineis sancti Audoeni apud Condeium mense martio, et seminare terras sancti Audoeni seminibus suis in eadem villa, et colligere redditus eius, et metiri vinagia eius sine procuracy. Et non debemus maritagium facere, nisi liberum et de assensu et voluntate prædicatorum abbatis et monachorum, et si opus fuerit ego vel hæres meus pro jure sancti Audoeni propria manu duellum facere apud Conde, vel alius a nobis quæsitus ad procuracy sancti Audoeni. Debemus præterea custodi prædicti manerii de Conde, totique familiae suæ duas procuracyes per annum prius Nativitate Domini in summonitione sua unam scilicet pro manso alteram pro majoratu. In quibus procuracybus debent esse duo fercula de carnibus et unum de piscibus. Debemus etiam ponere custodes animalium vinearum et segetum ad præceptum custodis prædicti manerii et quotiens nobis fuerit imperatum ab eodem custode, debemus rei in servitium sancti Audoeni cum equo. De equo autem nostro si mortuus fuerit in servitio sancti Audoeni debent nobis satisfacere prædicti abbas et monachi, sicut satisfecerint servientibus suis de Rothomago qui sunt de mensa eorum. Et de una

quaque pecia terræ, vinea, vel domo vendita apud Conde debemus habere duos denarios : et omnes querelæ vel placita ad jus sancti Audoeni pertinentia debent referri ad custodem præfati manerii, et inde coram eo placitabuntur, et de omnibus misericordiis, et emendationibus excepta querela pro qua vadium duelli datum fuerit, debemus habere ego vel hæres meus et participes nostri, duos solidos et sex denarios, et totum super erit sancti Audoeni. Et nihil habebimus de querela de qua vadium duelli datum fuerit.  
Habebimus autem compartagia et vinagia nostra quæ his continentur, et quæ debent hii qui hic subscribuntur. Petrus de Filarene inde debet VII. pooz de masura sua. Petrus filius Adam de Bollen, IIII. pooz et dimidium in hagenon, etc. tum distribuntur nomina 37. debitorum : reliquam cartam laceravit furtiva manus.